

non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, dissentiunt: Posterioris autem CYPR. L. 4. ep. 9. Frustra sibi blandiuntur ii, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt; cum Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et coherentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.

92. *Observa. I.* hisdem fere argumentis, quæ pro reprobis et peccatoribus in Ecclesia retinendis supra pugnavimus, probatur etiam hæreticos et schismaticos occultos atque excommunicatos non denuntiari posse ad Ecclesiam. Unde quamvis etiam Catholicorum quidam, sed forsitan quoad modum loquendi duntaxat, aliter enuntiant, eosdem proxima assertione tacite exceptos volumus, et facile inter Ecclesie membra numeramus; præsertim cum in hoc sequamur idioma Patrum, apud Bellar. L. 3. de Eccl. milit. c. 10. uberrimè laudatorum.

93. *Observa. II.* Quod de fide ad membrum Ecclesie requisita, ex Scripturis, Conc. Lateranensi et definitione NICOLAI in contrarium afferitur, intelligendum est, non de interna, sed externa, seu professione fidei: sicut et dicta quædam Patrum contraria opposita de hæreticis manifestis, non occultis, accipiuntur. Haud absimili ex capite etiam non baptizatos adnumeramus Ecclesie membris, modo putentur baptizati, et Christianos se profiteantur, secuti in hac re iudicium Dionysii Alex. ap. Euseb. L. 7. Hist. Eccl. c. 8. et Innoc. III. Cap. Apostolicam. de Presb. non baptizato. Quamvis enim baptismus sit janua ad Ecclesiam, nullusque nisi per eam sinatur ingredi; tamen sicut si quis via alia irreperit in domum, in eadem re ipsa est, sic et non baptizatus aliunde ingressus in Ecclesiam, inesse in ea censendus est. Exinde tamen Ecclesia compelli nequit cœtus hæreticorum et infidelium hypocritarum; cum denominationes a potiori sumendas constet, et corpus humanum etiamnum vivum dicatur, licet unum aut alterum membrum mortuum aut aridum habeat. Ex ratione contraria Catechumenos voto duntaxat ac spe, non vero re et actu in Ecclesia esse tenemus; et siquidem aliter aliquando loquatur Patrum non nemo, distinctione memorata est exponendus.

ARTICULUS III.

An et per quas notas discerni possit vera Christi Ecclesia?

94. *Nota I.* Non esse visibilem Ecclesiam, ac proin nec dari signa, notas et characteres sensibiles, quibus illa discernatur a cœtibus, qui se falso Ecclesiam Christi dicunt, ex desperatione producendæ communitatis secum in dogmatibus conspirantis, docuerunt LUTHERUS in L. de abrog. Missa p. 4. et CALVIN. tum in Præf. ad Inst. tum L. 4. Inst. c. 1. §. 7. A seipsis prior in L. de Conc. et alter. loc. post. citato, aut a Magistris saltem eorum discipuli Melancton in Conf. et Apol. Brentius, Molinaeus, et alii dissentiunt; ubi vel duas vel plures, ad has tamen facile reducendas afferunt notas pro probanda vera Christi Ecclesia, veritatem scilicet doctrinæ, seu sinceram verbi Dei prædicationem, et legitimam sacramentorum administrationem ac

usum. In neutro capite conveniunt cum Orthodoxis, qui et Ecclesiam sensibus corporeis, cum iudicio et certa persuasione quod sit vera Christi Ecclesia, perceptibilem asserunt; et pro hac perceptione distinctas ab illis nominatis notas constituunt.

Quamvis autem has non requirant tales, ut Ecclesiam in se evidentem, sed tantum evidenter credibilem, faciant; itemque nunc alias esse permittant; quam quæ fuerant ab exordio Ecclesie; ubi S. Spiritus sensibilibus descendebat in fideles et confirmatos, diffusio autem per universum orbem et successio Pastorum continuata haberi non poterat, quantum nunc priore absente altera præsto est; dotes tamen, non quascumque sed singulares et certis conditionibus vestitas admittunt. Exigunt enim primo ut notiores sint re quam significant, et a qua distinguuntur; deinde ut sint quodammodo sensibiles, omnibus obvia et cognitu faciles; denique ut sint propriae et non communes pluribus, saltem simul sumptæ.

95. *Nota II.* Præterea vero licet in carum numero describendo nec antiquiores nec recentiores omnino consonent; cum S. HIER. in Dial. cont. Luciferum, Vincent. Lirinensis in Commun. tres, AUG. in L. cont. ep. fundam. c. 4. sex, et alii postea pauciores, alii plures, inter quos Bellarm. quindecim, enumerent: facile tamen apparet, in paucioribus contineri et in pluribus præcipue efferi illas quatuor, communiter a Theologis usurpatas, nempe unitatem, sanctitatem, catholicitatem, et Apostolicitatem. Porro cum et harum possit esse multiplex sensus, diversa significandi vis, et ad varios terminos relatio, hujus diversitatis ratione habita, sub ea duntaxat acceptione has quatuor huc proferunt, sub qua enumeratas nuper condiciones possident. Cum quibus

96. *Dico I.* Vera Christi Ecclesia visibilis est, et discerni potest.

Prob. auctoritate 1º PROPHE TARUM. Isa. c. 2. v. 2. ait: *Erit in novissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes: per quem montem Hier. in h. l. intelligit Ecclesiam: Ibid. 61. v. 8. Germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus; caput hoc, cujus initium Luc. 4. Christus sibi attribuit, totum est de Christi Ecclesia: Dan. 2. v. 44. dicitur: In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminet autem et consumet universa regna hæc; et ipsum stabit in æternum; consentiunt autem Interpretes, hoc regno significari Ecclesiam Christi: Ps. 18. v. 6. In sole posuit tabernaculum suum; Aug. Tr. 2. in ep. Joan. et Tr. de Cant. nov. c. 3. per solem et tabernaculum intelligit in manifesto positam Ecclesiam.*

2º *CHRISTI*, qui juxta Aug. L. 2. cont. Cresc. c. 36., Ecclesiam, Matth. 3. v. 15. comparat civitati supra montem posite, et Matth. 16. v. 18. arci supra petram edificate; adversus quam porte inferi non prævalent; Matth. 18. v. 17. fratrem incorrigibilem jubet denunciari Ecclesie, istamque audiri.

3º *APOSTOLORUM*; inter quos Paulus Act. 20. v. 28. dicit positos esse Episcopos, ut regant Ecclesiam Dei, et ad Eph. 4. v. 12. datos esse pastores et doctores ad consummationem sanctorum in edificationem corporis Christi;

monetque 1. ad Tim. 3. v. 15. Timotheum, ut sciat, quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi :

4^o Patrum; ex quibus Origen. hom. 30. in Matth. inquit : Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem; Cypr. L. de unit. Ecl. Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; Aug. Tr. in ep. Joan. Numquid digito ostendimus Ecclesiam? nonne aperta est? etc.

Prob. Ratione. 1^o Ecclesiæ nomine intelligitur cœtus hominum visibilis, non minus quam nomine exercitus, civitatis et regni : atque sub eadem acceptione usurparunt Ecclesiæ nomen tum Scripturæ sacræ, sive vetus; Num. 20. v. 4., 1. Reg. 17. v. 47., Eccli. 3. v. 1. etc. sive nova, Act. 15. v. 3. et 4. ad Rom. 16. v. 4. et 5., Apoc. 3. v. 6. et seqq. alibique : tum sancti Patres plerique omnes. 2^o In Ecclesia prædicatur et auditur verbum Dei; administrantur et capiuntur sacramenta; exercetur jurisdictio per superiores et inferiores; congregantur concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges; etc. quæ omnia sunt sensibilia : ergo. 3^o Ecclesiam, extra quam fatentibus etiam hæreticis non est salus, debent omnes accedere; ad eandem, si per schisma aut hæresin secesserint, redire; in eadem juxta ep. ad Rom. 10. v. 10. exterius fidem profiteri; ergo.

97. *Obje.* Ecclesia Christi est spiritualis : ergo invisibilis. *Prob. Ant.* 1^o ex 1. Pet. 2. v. 5. Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias. 2^o Ex ep. ad Hebr. 12. v. 18. Non enim accessistis ad montem tractabilem, et v. 22. Sed ad Sion montem et civitatem Dei viventis. 3^o Ex Joan. 4. v. 23. Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Ergo.

R. ad Arg. D. A. Ecclesia est spiritualis secundum quid, scilicet respectu vel formæ, vel auctoris, vel effectuum ac finis, C. simpliciter et absolute, N. Quod prioribus modis tantum spirituale est, posse esse nihilominus corporeum et visibile, patet in sacramentis et homine.

Ad prob. 1. Vel redit eadem distinctio; quia Ecclesia, utpote capite et membris corporeis constans, non est simpliciter invisibilis, sed tantum secundum quid et respectu memoratorum : Vel *D.* aliter : Ecclesia est domus spiritualis secundum substantiam, h. e. occulta et invisibilis, N. Secundum relationem vel oppositionis cum domo ex ligno et lapide composita, vel ordinationis ad finem, ac bona et opera spiritibus et hominibus convenientia, C.

Ad 2. R. Per Sion montem et civitatem Dei vel intelligitur tantum Ecclesia triumphans, ut cum Theophyl. OEcumen. et aliis docet D. THOMAS, indicantque verba subjuncta : « Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui sunt conscripti in cœlis » ad quam scilicet non quidem re sed tamen spe jam accesserunt fideles; et sic textus nihil probat : vel intelligitur Ecclesia secundum generalem rationem accepta, ut videtur exigere antithesis facta; et tum *D.* Ecclesia etiam generaliter sumpta, qua triumphans, est Sion mons, civitas Dei, Jerusalem cœlestis etc., C. qua militans, N.

Ad 3. N. Cons. Per in spiritu nec loca sacrificii materialia, nequidem Jerusalem aut Garizim, nec adoratores visibiles excluduntur, sed sacrificia duntaxat carnalia et cœremoniæ prorsus corporales et externæ Judæorum;

sicut per in veritate oppositio fiebat ad cultum falsum et erroneum Samaritanorum.

Inst. 1. Ecclesia est quid insensibile, internum et mysticum : 1^o patet ex Luc. 17. v. 21. Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic; 2^o ex ibidem subjuncto : Ecce enim regnum Dei intra vos est, et ex Jerem. 31. v. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. 3^o ex ep. ad Rom. 12. v. 5., et 1. ad Cor. 12. v. 27. ubi Ecclesia dicitur corpus Christi, utique mysticum : ergo est invisibilis.

R. N. Ant. Textus primus non agit de Ecclesia, sed de Christo; cujus adventus prior dicitur sine observatione, id est, sine pompa et signis; posterior autem non temere credendus, Antichristis eundem hic aut illic enuntiantibus : qui demum secundum præsentiam corporalem in consortio ac medio Judæorum, secundum gratiam in eorum cordibus, et hoc sensu intra eos fuerat. Neque secundus de Ecclesia, sed de virtute et de præcepto charitatis, in Novo Testamento prævalente loquitur. Tertius de Ecclesia quidem agit, quæ etiam corpus Christi morale vocatur; non autem mysticum eo sensu, quod vel ex solis prædestinatis constet, vel secundum omnes sui partes invisibile sit, ut objectio innuit : cum prior sensus superius sit rejectus, posterioris autem falsitas ex partibus Ecclesiæ sensibilibus constet.

Inst. 2. Variæ considerationes Ecclesiam ostendunt invisibilem. Nam 1. objective spectata est objectum fidei, cum articulum in symbolo constituat : hoc autem conspici non potest, sed creditur : ergo. 2. Formaliter sumpta seu pro forma dicit fidem, spem, et charitatem : sed hæ visibiles non sunt : ergo. 3. Saltem tempore persecutionis aut prævalentis hæresis ita nonnunquam afflictæ fuit, ut videri desierit : ergo.

R. N. Ass. Ad ejus prob. 1. *D. m.* Objectum fidei conspici non potest sub ea ratione, sub qua creditur, T. (de quo vid. Tr. propr.) sub alia ratione, N. Objectum aliquod sub una ratione credi, sub altera conspici posse, patet in Apostolis humanitatem Christi videntibus, ejusque divinitatem credentibus : item in baptismo, in quo aspersionem aquæ et verborum prolationem sensibus percipimus, sacramenti autem rationem credimus, non sentimus. Similiter in casu nostro cœtum hominum ex et cum professione, communionem et subjectionem sensibiliter cognoscimus; hunc vero cœtum veram esse Christi Ecclesiam non videmus, sed credimus.

Ad 2. R. 1. Si inferatur, Ecclesiam formaliter sumptam seu secundum formam non videri, T. ; si inferatur, Ecclesiam simpliciter non videri, N. Cons. Scilicet sicut, quamvis concedatur hominem secundum formam seu animam esse invisibilem, hominem tamen simpliciter invisibilem nemo dixerit. *R. 2. D. m.* Hæ non sunt sensibiles in se et secundum subjectum, *Subd.* Si hoc sumatur divisim pro his aut illis particularibus hominibus, N. Vera Christi Ecclesia est, quæ interius per virtutes cum Christo conjungitur : has virtutes et conjunctionem non videmus in se ipsis; spectamus tamen in earum signis, nempe professione fidei, participatione sacramenti, etc., et hujus subjectis, scilicet hominibus; de quorum singulis individuis licet rursus certum non sit, hunc vel illum habere fidem et unionem intus, qui eam exterius proficitur, de toto tamen eorum cœtu per notas characteristicas distincto, cer-

rum ex ordinatione divina habemus, quod vera Christi Ecclesia sit, et illa interiora habeat.

Ad 3. N. Ant. cujus falsitas in art. seq. singulari assertionem ostendetur.

98. *Dico II.* Nec doctrinae veritas nec usus Sacramentorum legitimus sunt verae notae et characteres Ecclesiae Christi. *Prob.* Hae dotes, quamvis conveniant verae Christi Ecclesiae, tamen non habent debitas notarum condiciones. Imprimis enim non sunt *notiores* Ecclesiae; quia veritas doctrinae et legitima ratio usus sacramentalis, juxta suos patronos desumitur a conformitate cum verbo Dei scripto: difficilius autem cognoscere est verbi hujus extantiam, apographorum authenticam, versionum fidelitatem, sensus et interpretationis proprietatem, quam Ecclesiam. Deinde non sunt *sensibiles* et *passim obviae* omnibus; quia ob Scripturae obscuritatem et incapacitatem hominum nec ipsa doctrinae et rei sacramentariae cognitio vera cuilibet obvia, multo minus sensibilis est: neque discussio et examen harum faciendum facilis et cuicumque accommodati est operis. Denique non sunt *propriae*; tum quia qualibet secta teste Lactant. L. 4. Inst. c. 29., Cypr. ep. ad Jubaian. et Aug. L. de unit. Eccl. c. 2. geminam hanc dotem sibi arrogat: tum quia apud schismaticos puros utraque nota emicare potest, et apud Luciferianos, Donatistas aliosque sub initium schismatis retinebatur.

Conf. Ad Ecclesiam Christi pertinet determinare, quanam sit vera doctrina, quinam sacramentorum usus legitimus; ut patet ex assertis Irenaei L. 3. adv. haer. c. 4., Tert. L. de praescript. c. 21., Aug. L. cont. ep. fundam. c. 5. atque ex decretis et canonibus conciliorum: ergo per Ecclesiam constat de veritate doctrinae et legitimo sacramentorum usu, non autem per haec de Ecclesia.

99. *Objic.* Scriptura stat pro veritate doctrinae tanquam nota Ecclesiae, tum quia oves cognoscuntur ex doctrina, Joan. 10. v. 27. *Oves meae vocem meam audiunt*: tum quia munditia tanquam proprietates Ecclesiae ex Dei verbo habetur, juxta Joan. 15. v. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*; et ad Ephes. 5. v. 27. *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*: tum quia doctrinae examen praemittendum est accessioni ad Ecclesiam, juxta illud Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas: illae sunt, quae testimonium perhibent de me*; Sicut instructio praemittitur receptioni in Ecclesiam, juxta illud Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. Unde Ambr. in Luc. L. 6. ait: *Fides Ecclesiae imprimis querenda mandatur, in qua si Christus habitator est, haud dubie est legenda*; et Aug. L. de unit. Eccl. c. 3. *Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique cedimus: ibi quaeramus Ecclesiam*: ergo.

R. ad Arg. N. Ass. Ad ejus prob. 1. *D.* Oves cognoscuntur ex doctrina praecise praedicata, N. ex doctrina corde percepta et custodita, *Subd.* in ordine ad cognitionem sive certam sive conjecturalem electorum singularium, C. in ordine ad cognitionem Ecclesiae, N. Secta nulla est quae non gloriatur audiri a se vocem Christi: hujus autem vocis intima perceptio et custodia est occulta, nec nisi cuilibet forsitan conjecturaliter tantum cognita; unde nota Ecclesiam manifestans esse nequit.

Ad 2. D. Munditia manifesta habetur ex verbo Dei, N. interna et occulta,

Subd. per verbum Dei praedicatum, et sic doctrinam, N. per verbum Dei consecratorium, et sic ad doctrinam impertinens, C. ut autem munditia posset esse nota, deberet esse manifesta.

Ad 3. D. Examen doctrinae praemittendum est accessioni ad Ecclesiam, sicut instructio praecedit receptionem, utrobique tanquam dispositio in adultis necessaria ad fidei sacramenta percipienda, T. tanquam propria Ecclesiae nota, N. Nec alius sensus est Patrum laudatorum, quam notas et characteres verae Ecclesiae ex Scripturis disci ab harum receptoribus posse; qui praeterea alibi docent, veram doctrinam, non ex privato cujuscumque, sed ex publico Ecclesiae sensu ac judicio aestimandam retinendamque esse.

Inst. 1. SS. CHRYS. et AUG. pluribus in locis docent, non aliter cognosci et probari Ecclesiam, quam per verbum Dei, adeoque per veritatem doctrinae. Prior quidem hom. 49. in c. 24. Matth. *Antea multis modis ostendebatur, quae sit vera Ecclesia Christi: nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quae sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas: ibidem hanc rationem subdit; quia scilicet, quae olim veram religionem distinguebant ab haeretica, sunt jam utrique communia, ut Episcopi, ordines Clericorum, Baptismus, Eucharistia, Scriptura, miracula, numerus Christianorum, Christus ipse: demum concludit: Qui vult ergo cognoscere, quae sit vera Christi Ecclesia, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Posterior autem contra Donatistas agens, sic scribit ep. 166. *In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam*; et L. de unit. Eccl. c. 49. *Utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de Scripturarum divinarum canonicis libris ostendant.* Contra Manichaeos etiam in L. cont. ep. fund. c. 4. inquit, *Veritatem, si manifesta monstratur, praeponebam omnibus iis, quibus antea dixerat, se teneri in Ecclesia Catholica.*

R. D. M. Sancti hi PATRES docent non aliter cognosci et probari Ecclesiam absolute et simpliciter, N. facile et ordinarie, *Subd.* in certa hypothesisi et respectu eorum, qui ad Scripturas provocant, C. in thesi et respectu quorumcumque, N. Ecclesiam ex motivis credibilitatis pluribus splendescere juxta hos et alios PATRES demonstratum est; notas has nullibi facilius inveniri, quam in Scripturis, itidem ex dictis constat: ad Scripturas autem evocari non posse nisi eos, qui illas tanquam divinas venerantur, rursus ex methodo probandi liquet. Jam vero Patres memoratos agere cum hominibus hujusmodi, manifestum est; de Aug. quidem, qui Donatistas et Manichaeos alloquitur, et postremos etiam ex hypothesisi duntaxat, ut contextus aperte docet: de CHRYS. autem aut potius alio scriptore (nam vulgata versio, libri apocryphi, et dogmata falsa hic inspersa non sinunt opus imperfectum in Matthaeum sancto Patri adscribi) contextus idem edocet.

Inst. 2. Nulla res cognosci potest absque cognitione eorum, quae ad ejus essentiam pertinent: sed doctrinae veritas pertinet ad essentiam Ecclesiae; quia ut Hier. in Ps. 133. ait: *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate: Ecclesia ibi est, ubi fides vera est*: ergo. 2. Vera Ecclesiae nota est, quae semper fuit usurpata, ut Ecclesia vera secerneretur a falsa, et ipsa forsitan deficiens resumeret Ecclesiae proprietates: sed ad utrumque fuit semper usurpata doctrinae veritas; ad primum quidem inter Ecclesiam Judaicam et Samaritanam: ad secundum vero in Synagoga tempore Josiae, Esdrae et Nehemiae: ergo. 3. Per quod probatur alterum, id altero debet esse